

# CONFESSIO Catholicæ Fidei CHRISTIANA : VEL

potius Explicatio quædam Confessionis à  
Patribus factæ in Synodo Provinciali,  
quæ habita est Petrikouïæ, Anno  
Domini M. D. LI. Mense  
Maio congregatis.



*num. 6. cap. 9. num. 2.*

ANTVERPIÆ  
In ædibus Ioannis Steelsii,  
ANNO M. D. LIX.

Cum Gratia & Priuilegio.

*VERA*



*Coll. Soc InsuSalma ex dono Regum.*

# SERENISSIMO ET CHRISTIANISSIMO PRINCIPI ET

Domino, Domino Sigismundo Augusto Dei gratia  
Regi Poloniae, magno Duci Lituaniae, Russiae, Prus-  
siae, Masoviæ, Samogitiae &c. Domino & hære-  
di: Domino suo clementissimo, Nicolaus  
Dziergovski Archiepiscopus Gnesnen-  
sis, Legatus natus & primas, orationes  
& obsequia sua reuerenter  
commendat.



*I* Quia Gens alia, nostra præ  
ceteris habere videtur, quod in  
Domino gloriari, de quo Deo, cu <sup>1. Cor. 2.</sup>  
ius hoc solius est beneficium, me-  
rito gratias agere possit ac debeat, quod cum  
aliæ pleraque post agnitam veritatem, & re-  
ceptum semel Christi Euāgelium, trāsferri se <sup>Gal. 1.</sup>  
in aliud cuiusvis potius, quam Christi Euāge-  
lium passæ sint, nostra bæc (quod illi perpetuū  
cuius hoc inspiratione factum est, Deus esse <sup>1. Ioan. 4.</sup>  
velit) quod audiuit ab initio, in eo permanxit <sup>Heb. 13.</sup>  
neq, commisit ut doctrinis variis & peregri-  
nis abduceretur, Verum quod Timotheū, ac  
verum veri Dei cultorem vnumquenq, Paus-  
lus admonet, depositum fideliter custodiuit,  
deuitans prophanas vocum nouitates, & op-  
positiones falsi nominis scientie, quas quidā  
promittentes, circa fidem exciderūt. Sed bæc  
illi tantam constantiæ laudem, eripere cona-  
sur totius humani generis hostis ille capitalis,

# Quod Fides fun DAMENTVM SIT religio nis Christianæ. CAPVT PRIM V M.



Vf Fidem sanctissimæ religionis, doctrinæ Christianæ fundamentum, simul ianuam & viam in vitâ, ac recursum quendam atq; reductionem, à corruptione ad incorruptionem immortalitatemq; esse dixerunt, ii verè vim eius expressisse videntur. Nam per hæc accessum habemus ad patrem, qui vitæ nobis & immortalitatis auctor est. Credere enim oportet accedentem ad Deum. Accedit ad Deum, qui inuocat eum. Quomodo autem inuocabunt, dicit Apostolus, in quem non crediderunt? Fides itaq; cum primis est necessaria, sine qua impossibile est placere Deo: Quam qui non habet, frustra accedit ad Deum, frustra loquitur, frustra inuocat Deum. Intellexit hoc Propheta cū dixit: Credidi propter quod locutus sum. Quin & Apostolus: Et nos, inquit, credimus, propter quod & loquimur. Prima ergo vox eius, qui se Christianum profitet, est, Credo. Hinc est, quod non Sophi, non Philosophi, sed fideles appellamur. Verum quid tandem illud est, quod credere nos oportet? nihil aliud est quam Iesum Christum, & hunc crucifixum. Hæc est fidei nostræ summa, ut credamus, nos, qui primorum parætum nostrorum culpa facti eramus filii iræ, filii gehennæ, rei mortis æternæ, nō potuisse, neq; posse à morte liberari, nisi per unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus: qui factus est propitiatio pro peccatis nostris: nō pro nostris autem tantum, verum & totius mundi: qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo: Qui cū inimici fuisset, reconciliauit nos Deo patri. Quomodo autem reconciliavit? Ut sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti fuimus multi, sic per unius obedientiam fuisti constituemur multi. Factus est enim obediens pa-

Chrysost.  
Tomo 4.  
Homil. de  
fide, spe, &  
charitate.  
Cyril li 4.  
super Ioant.  
cap. 9.  
Rom. 5.  
Hebr. 11.  
Rom. 10.  
Heb. 11.  
Psal. 115.  
2. Cor. 4.

Eph. 2.  
. Tim. 2.  
1. Ioant. 2.

Apoc. 1.  
Rom. 5.  
Rom. 5.

A tri